



**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. I. Officium Coadjutoris describitur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

bertatem revocati sunt, suspenso Pontificis jure: quidni (jam concludit) virtute juris circa sacra eminentis, quod jure territoriali cohæret, preces has exercere in Capitulis, Ecclesiisque sibi subjectis possent? praxi tam inveterata Cæfaris, & Pontificis accedente. Hæc Bœhmerus. Nos hac quæstione manus nostras non inquinabimus, falsissimas esse præmissas jam dudum ostenderunt alii, & nos in lib. 1. *Decret. ad tit. de*

*Constit. & passim alibi deteximus. Unde, quid roboris habeat Bœhmeriana consequentia, nemini non patet. Quadrant hoc illa verba Innocentii III. in cap. 18. b.t. Multa per patientiam tolerantur, que, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari. Nunc autem judicium est mundi. Joann. 12. Aliam sententiam audiet Bœhmerus, cum venerit ille, qui justias judicabit.*

## T I T U L U S VI.

### *De Clerico ægrotante, vel debilitato.*

**N**E Clerici Beneficiati, aliique Prælati Majores, qui ob frateras senio vires, aut ex morbi impedimento Ecclesiæ suæ, suisque ovibus amplius utiliter præesse nequeunt, Beneficiis suis cedere cogantur, quippe, cum Beneficium propter Officium detur. *cap. ult. de Rescript. in 6.* providè à SS. Canonibus constitutum est, ut ægrotantibus, aut debilitatis Clericis Coadjutores adjungantur, qui defectum infirmorum, vel alias impecitorum in regimine Ecclesiæ & administratione Officii suppleant. De Coadjutorum subinde Officio, & potestate jam agendum erit.

#### §. I.

##### *Officium Coadjutoris describitur?*

###### S U M M A R I A.

1. *Coadjutor à coadjuvando sic dictus describitur.* 2. Propriè Prælatus, & Rector Ecclesiæ dici nequit. 3. Differt ab administratore. 4. Alius est temporalis, alias perpetuus. 5. Differentia triplex inter Coadjutoriam, & gratiam expectativam adstruitur.

1. **C**oadjutor à coadjuvando sic dictus, *ff. de Tutor.* describitur à P. Reiffenstuel sicut Tutor pupilli, à tuendo l.i. *ad h.t. §. 2. num. 12.* & aliis ibidem citatis,

tis, quod sit ille, qui *authoritate juris, vel judicis constituitur ad administrandum officium, Prælati, seu ministri Ecclesie morbo, vel alias impediti.*

2 Ex qua descriptione duo colliges.

I. Quod Coadjutor, cum tantum coadijuvet rectorem principalem, ejusque defectum in administratione sui officii suppleat, propriè Prælatum, & Rectorem Ecclesiæ dici non posse, eo, quod ipse curam animarum quoad exercitium duntaxat habeat, manente interim jure, possessione, & titulo beneficii penes Rectorem principalem. P. Reiffenstuel cum aliis hic num. 23. & seq.

3 II. Administrationem à Coadjutore in hoc differre, quod ille à Sede Apostolica ad administrandum tam in spiritualibus, quam temporalibus quandóque detur Episcopis, à sua Ecclesia ex legitima causa absentibus, aut personis Principibus ante legitimam etatem ad Episcopatus authoritate Apostolica dispensativè promotis. arg. cap. 42. de Elect. in 6. Hic autem, scilicet Coadjutor, detur Episcopis, aut aliis Prælatis de se quidem ad regendam Ecclesiam aptis, in præsens autem ob con-

tractum ex morbo, vel senio impedimentum perpetuum ad exercendum, & exequendum munus suum & officium haud amplius idoneis. Reiffenstuel b.t. num. 25.

Coadjutor alius est *temporalis, alias perpetuus.* Ille dicitur, qui ad tempus vitæ principalis Ecclesiæ Rectoris, vel durantis impedimenti constituitur, & semper revocari potest. Ita vero, qui cum jure successionis in beneficio & officio demortui coadjuti datur, de quo inferius.

Quæres: quomodo *Coadjutoria* § perpetua differat ab *expectativa?* Resp. In tribus præcipue I. quod expectativa ad nullum determinatum beneficium, benè vero Coadjutoria detur. II. Expectativa non confert, sed tantum promittit beneficium, confert autem Coadjutoria. Nam vacante beneficio, cui quis Coadjutor est datus, non indiget nova collatione, sed nova duntaxat immisione in possessionem beneficii. III. In expectativa expectantis commodum, in coadjutoria non coadjuti principaliiter commodum, sed ipsius Ecclesiæ bonum intenditur.

## §. II.

*Quis Coadjutorem dare, & qui Coadjutores constitui possint?*

### S U M M A R I A.

6. Coadjutorem regulariter dat ille, qui respectu coadjuti est superior. 7. In quibus casibus Capitulum Episcopo Coadjutorem dare possit, exponitur. 8. Parochis Episcopus Coadjutorem dat, & si beneficium fuerit Patronatum, consensum patroni adhibet. 9. Coadjutor debet iisdem qualitatibus esse prædictus, quæ requiruntur in coadjuto.

Coad-

